

infundo remanet, dicitur ignis qui interdum dicitur terra secunda. De quibus duabus terris Aristoteles loquitur, ut puta de terra & igne: quæ simul sunt in album calcinate: acetiuæ, quæ duæ sunt aquæ scilicet aqua & oleum, Et aliquando sumit nomen vnius, pro nomine alterius, ut indigni inquisitores deueniant a tramite veritatis.

Rursum dicit Aristoteles. Adiunge ei duas virtutes operatiuas scilicet aquam & oleum, rectificando aquam & aerem, rectificabitur etiam terra & ignis. Hoc ideo addidi, pro eo quod in praecedenti capitulo de separatione minus dixi. Et propter eos qui solent libros deflorare, ne simul in uno capitulo totum ordinate positum inueniant quod requirunt, sed quo ad coniunctionem dico, quod tres sunt modi coniungendi, scilicet dyptatiua, ut inter agentem & patientem, rarum & densum, masculum & foeminam, sulphur & Mercurium, materiam & formam.

Vnde philosophus. Et materia & forma tantum, continetur generatio naturæ, Item alibi dicit Sufficit operatori huius artis reducere rem ad simplicem puritatem raritatis, & densitatis. Quamuis non singillatim in elementis, Coniunge ergo Sabricum Beye ut inter se gignant sibi simile, quorum semen multiplicabitur sicut stelle, Et sic patet quod dyptatiua coniunctio est sufficiens in magisterio.

gg